

verat, a nobis et ecclesia nostra dependebat et tenebatur in feudum, nobis — supplicare curavit, quatenus — ipsum feudum cum pleno dominio et usufructu bonorum praedictorum in venerabiles viros dominos . . praepositum, . . decanum et . . capitulum ecclesiae nostrae et in ipsam nostram Misnensem transferre et transfundere ecclesiam, eisque et ipsi cum omnibus et singulis suis appenditiis appropriare — dignaremur. Nos itaque Conradus episcopus Misnensis — suis votivis in hac parte supplicationibus favorabiliter inclinati — — venditionem, emptionem et dispositionem — de ipsius capituli nostri voluntate unanimi et consensu ratificamus et approbamus, ipsum quoque allodium Johannis Franken ac feudum eius cum pleno dominio et usufructu, necnon omnibus et singulis suis appenditiis et utilitatibus, sicut hactenus a nobis et ecclesia nostra dependebat et tenebatur, in praescriptos dominos . . praepositum, . . decanum et capitulum et nostram ecclesiam Misnensem saepedictam transferimus et transfundimus, eidem quoque ecclesiae nostrae praemissa ad usum superscriptum in proprium damus — nihil penitus iuris nobis in praemisso allodio et eius feudo, cui expresse et in totum praesentibus renunciamus pro nobis aut successoribus nostris . . episcopis Misnensibus reservatis etc. Ne igitur ex vetustate temporis oblivio, quae mater erroris et inimica veritatis existit, aliquem in praemissis vendicet sibi locum, praesentes litteras scribi et nostri autentici sigilli fecimus appensione muniri. Datum et actum Misnae anno a nativitate domini millesimo tricentesimo septuagesimo secundo in die beati Lucae evangelistae.

Et nos Henricus praepositus, Nicolaus decanus totumque capitulum — omnibus et singulis praexpressis, nostrum unanimem et benivolum nos adhibuisse et adhibere consensum praesentibus publice profitemur, appendentes etiam praesentibus maius nostri sigillum capituli in testimonium evidens super eo.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 620. 1372. 6. Nov.

*Die Markgrafen Friedrich, Balthasar und Wilhelm nehmen den bei Gründung einer Domherrn-pfründe dieser verlienenen Kleinzoll in Grossenhain zurück und verbessern dagegen deren Einnahme durch Anweisung von 20 Schock Groschen jährlich auf die städtische Steuereinnahme von Grossenhain. Vgl. Bd. I. No. 401.*

In nom. dom. amen. Nos Fridericus, Balthazar et Wilhelmus fratres uterini, dei gratia Thuringorum lantgravii, Miszenensesque terrae Orientalis et in Landesperg marchiones, comites in Orlamunde dominique terrae Plissenensis omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Et si in secularis culminis dignitate positi temporalibus intendamus negotiis, non tamen taliter debemus insudare transitoriis, ut aeternam mercedem, quam Christianus quilibet expectat, in huius vitae stadio negligamus. Sane litteras et privilegia inclitae recordationis olim Friderici Thuringorum lantgravi, Miszenensis, Orientalis et in Landesperg marchionis genitoris nostri carissimi per venerabiles viros dominos . . decanum et . . capitulum ecclesiae Miszenensis nobis exhibitas vidimus et recepimus, ac in eisdem litteris contenta approbavimus et quantum in nobis fuerat autorisavimus. In quibus quidem litteris praenotatus genitor